

Quid ibi aliud dicemus, nisi, « Deus meus es tu, et con-
 » fitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te; confitebor
 » tibi, Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi
 » in salutem¹? » Non strepitu verborum ista dicemus, sed
 dilectio inhærens illi per se ipsam clamat istam vocem, et
 dilectio ipsa vox est ista. Itaque sicut coepit laudem, ita
 terminat: « Confitemini Domino quoniam bonus, quo-
 » niam in sæculum misericordia ejus². » Hinc coepit Psal-
 mus, huc desinit: quoniam sicut ab initio quod deserui-
 mus, ita in finem quo redimus, non est aliquid quod sa-
 lubrius delectet, quam laus Dei, et semper Alleluia. »

ENARRATIO

IN PSALMUM CXVIII.

PROOEMIUM.

PSALMOS omnes cæteros³, quos codicem Psalmorum
 novimus continere, quod Ecclesiæ consuetudine Psalte-
 rium nuncupatur, partim sermocinando in populis, partim
 dictando exposui, donante Domino, sicut potui: Psalmum
 vero centesimum octavum-decimum, non tam propter ejus
 notissimam longitudinem, quam propter ejus profundi-
 tatem paucis cognoscibilem differebam. Et cum molestis-
 sime ferrent fratres mei, ejus solius expositionem, quan-
 tum ad ejusdem corporis Psalmos pertinet, deesse opusculis
 nostris, meque ad hoc solvendum debitum vehementer

¹ Psal. cxvii, 28. — ² Ibid. 29. — ³ Vide D. Guillon, tom. xxii, pag. 32-35.

urgerent, diu petentibus jubentibusque non cessi: quia
 quotiescumque inde cogitare tentavi, semper vires nos-
 træ intentionis excessit. Quanto enim videtur apertior,
 tanto mihi profundior videri solet; ita ut etiam quam sit
 profundus, demonstrare non possem. Aliorum quippe,
 qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus
 latet, ipsa tamen apparet obscuritas: hujus autem nec
 ipsa; quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem at-
 que auditorem, non expositorem necessarium habere cre-
 datur. Et nunc quod tandem ad pertractationem ejus ac-
 cedo, quid in eo possim, prorsus ignoro: spero tamen ut
 aliquid possim, affuturum atque adjuturum Deum. Sic
 enim fecit in omnibus, quæcumque sufficienter, cum prius
 mihi ad intelligendum vel explicandum difficilia ac pene
 impossibilia viderentur, exposui. Statui autem per sermo-
 nes id agere, qui proferantur in populis, quas Græci *ἐκκλησίαις*
 vocant. Hoc enim justius esse arbitror, ut conventus
 ecclesiastici non fraudentur etiam Psalmi hujus intelli-
 gentia, cujus, ut aliorum, delectari assolent cantilena.
 Sed sit huc usque proœmium: jam de ipso est loquendum,
 de quo istuc visum est præloquendum.

SERMO I.

I. AB exordio suo magnus Psalmus iste, charissimi, ex-
 hortatur nos ad beatitudinem, quam nemo est qui non
 expetat. Quis enim usquam vel potest, vel potuit, vel po-
 terit inveniri, qui nolit esse beatus? Quid igitur exhorta-
 tione opus est ad eam rem, quam sua sponte appetit
 animus humanus? Nam profecto qui exhortatur, id agit,
 ut excitetur voluntas ejus cum quo agit, ad illud propter

quod exhortationis adhibetur alloquium. Utquid ergo nobiscum agitur, ut velimus, quod nolle non possumus; nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perveniatur, plurimi nesciunt? Ideoque hoc docet iste, qui dicit: « Beati immaculati in » via, qui ambulant in lege Domini¹. » Tanquam diceret, Scio quid velis, beatitudinem quæris: si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt. Sed ubi erit quisque immaculatus, nisi in via? In qua via, nisi in lege Domini? Ac per hoc, « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, » non superfluo nobis dicitur, sed exhortatio necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid enim boni sit ad quod multi pigri sunt, id est, immaculatos ambulare in via, quæ lex est Domini, sic ostenditur, cum beatos esse, qui hoc faciunt, indicatur, ut propter illud quod omnes volunt, etiam hoc fiat quod plurimi nolunt. Beatum quippe esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria stupisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, et se miserum putat, cum ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiâque non pervenit, beatum vero non dubitat jactare, cum pervenit. Et quisquis avaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus sit: inimicorum sanguinem fundere quicumque desiderat, dominationem quisquis affectat, crudelitatem suam quisquis alienis cladibus pascit, in omnibus sceleribus beatitudinem quærit. Hos igitur errantes, et vera miseria falsam beatitudinem requirentes, revocat ad viam, si audiatur,

¹ Psal. cxviii, 1. *ut exciteatur voluntas eius cum duo scribitur*

vox ista divina, « Beati immaculati in via, qui ambulant » in lege Domini: » tanquam dicens, Quo itis? Peritis, et nescitis. Non illac itur qua pergitis, quo pervenire desideratis: nam utique beati esse cupitis; sed misera sunt, et ad majorem miseriam ducunt itinera ista, qua curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite: si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viæ perversæ relinquitte malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate sæculi: sed, « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. »

II. Quid porro adjungat attendite, « Beati qui scrutantur » testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum¹. » Non mihi videtur aliud his verbis commemoratum beatorum genus, quam illud quod ante dictum est. Nam scrutari testimonia Domini, et eum in toto corde exquirere, hoc est immaculatum in via, in lege Domini ambulare. Denique sequitur, et dicit, « Non enim qui operantur » iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt². » Si ergo ambulantes in via, id est, in lege Domini, ipsi sunt scrutantes testimonia ejus, et in toto corde exquirentes eum; profecto qui operantur iniquitatem, non scrutantur testimonia ejus. Et tamen novimus operarios iniquitatis ad hoc scrutari testimonia Domini, quia malunt docti esse quam justi: novimus et alios ad hoc scrutari testimonia Domini, non quod jam recte vivant, sed ut sciant quemadmodum vivere debeant. Tales ergo nondum immaculati ambulant in lege Domini, ac per hoc nondum beati. Quomodo ergo intelligendum est, « Beati qui scrutantur testimonia ejus; » cum videamus homines ejus scrutari testimonia non beatos, quia non immaculatos? Nam Scribæ et Pharisæi super ca-

¹ Psal. cxviii, 2. — ² Ibid. 3. *quæritur et non videtur esse iniquitas*

thedram Moysi sedentes, de quibus Dominus ait: « Quæ » dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; » dicunt enim, et non faciunt¹: » utique scrutabantur testimonia Domini, ut haberent quæ dicerent bona, quamvis facerent mala. Sed hos omittamus. Recte quippe respondebitur nobis, quod isti non scrutantur testimonia Domini. Non enim quærunt ipsa, sed aliud quærunt per ipsa, id est, ut glorificentur ab hominibus, vel ditentur. Non est hoc scrutari testimonia Dei, non diligere quod ostendunt, nolle pervenire quo ducunt, id est, ad Deum. Aut si et ipsi scrutantur testimonia Dei, quamvis non ut ipsum, sed ut aliud ex his inveniant et acquirant; certe non in toto corde exquirunt eum, quod non utique frustra hic additum cernimus. Sciens enim Spiritus, qui hæc dicit, multos propter aliud, non propter quod constitutum est, scrutari testimonia ejus, non tantum dixit, « Beati » qui scrutantur testimonia ejus: » sed addidit, « In toto » corde exquirunt eum, tanquam docens quemadmodum, vel propter quid scrutanda sint testimonia Domini. Denique in libro Sapientiæ loquens ipsa Sapientia, « Quærunt, » inquit, me mali, et non inveniunt; oderunt enim sapientiam². » Quod quid est aliud, quam oderunt me? Quærunt ergo me, ait, et non me inveniunt qui oderunt me. Quomodo igitur dicuntur quærere quod oderunt, nisi quia non hoc, sed aliud ibi quærunt? Non enim volunt esse sapientes in Dei gloriam, sed volunt videri sapientes propter hominum gloriam. Quomodo enim sapientiam non oderunt, quæ jubet et docet contemnendum esse quod diligunt? Proinde, « Beati immaculati in via, qui ambulat in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia » ejus, in toto corde exquirunt eum. » Sic enim scrutando testimonia ejus, ut in toto corde exquirant eum, imma-

¹ Matth. xxiii, 3. — ² Prov. 1, 28, 29.

culati ambulant in lege Domini. Numquid tamen ille non scrutabatur testimonia ejus, nec quærebat eum, qui dicebat, « Magister bone, quid boni faciam, ut vitam » æternam consequar? » Sed quomodo eum in toto corde quæsivit, cujus consilio divitias suas prætulit, quo audito tristis abscessit¹? Nam et propheta Isaias dicit, « Quærite » Dominum; et cum inveneritis eum, derelinquat impius » vias suas, et vir iniquus cogitationes suas²? »

III. Quærunt itaque Deum et impii et iniqui, ut eo invento non sint impii, nec iniqui. Quomodo ergo jam beati, cum adhuc testimonia ejus scrutantur et exquirunt eum, cum hoc facere possint et impii, possint et iniqui? Beatos autem esse impios et iniquos, quis vel impius dixerit aut iniquus? Ergo spe beati, sicut, « Beati qui persecutionem » patiuntur propter justitiam³: » non propter quod adest, quandiu mala patiuntur; sed propter quod aderit, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et, « Beati qui esuriunt et » sitiunt justitiam: » non quia esuriunt et sitiunt⁴, sed propter quod sequitur, « Quoniam ipsi saturabuntur. » Et, « Beati » qui plorant: » non quia plorant, sed propter quod sequitur, « Quia ridebunt⁵. » Proinde, « Beati qui scrutantur » testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum: » non quia scrutantur et exquirunt, sed quia inventuri sunt quod exquirunt. In toto enim corde, non negligenter exquirunt. Si ergo spe beati, fortassis etiam spe immaculati. Nam profecto in hac vita, licet in lege Domini ambulemus, licet scrutemur testimonia ejus, et in toto corde exquiramus eum, « Si dixerimus quia peccatum non habemus, » nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est⁶? » Sed hoc diligentius inquirendum est. Sequitur quippe, « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus am-

¹ Matth. xxix, 16 et 22. — ² Isai. lv, 6, 7. — ³ Matth. v, 10. — ⁴ Ibid. 6. — ⁵ Ibid. 5. — ⁶ 1 Joan. 1, 8.

» bulaverunt. » Ex quo videri potest, qui ambulant in via Domini, id est, in lege Domini, scrutando testimonia ejus, et in toto corde exquirendo eum, jam esse posse immaculatos, hoc est, sine peccato, propter verba sequentia, « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Qui autem peccatum facit, et iniquitatem facit, » ait beatus Joannes: et addidit, « Peccatum iniquitas est¹. » Sed jam sermo iste claudendus est: nec in angustum tanta quæstio coarctanda.

SERMO II.

I. SCRIPTUM est, et legitur, et verum est, in hoc Psalmo: « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. » Sed elaborandum est, opitulante Deo, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri³, ne recte dictum, non recte intellectum, lectorem auditoremve perturbet. Cavendum est enim, ne omnes sancti, quorum illa vox est, « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est⁴; aut non putentur ambulare in viis Domini, quoniam peccatum iniquitas est, et qui operantur iniquitatem, non utique in viis ejus ambulaverunt; aut quia dubium non est eos ambulare in viis Domini, non credantur habere peccatum, quod procul dubio falsum est. Neque enim propter arrogantiam superbiamque vitandam scriptum est: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. » Alioquin non adderetur, « Et veritas in nobis non est; » sed diceretur: « Humilitas in nobis non est: » præsertim quia sequitur unde iste sensus clarius illustretur, omnesque

¹ 1 Joan. III, 4. — ² Psal. cxviii, 3. — ³ Sap. vii, 16. — ⁴ 1 Joan. I, 8.

auferat dubitationis ambages. Cum enim hoc beatus Joannes dixisset, adjunxit: « Si autem confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate¹. » Quid hic dicit, quid contradicit damnabilis impietatis elatio? Si enim propter arrogantiam devitandam, non propter veritatem fatendam, non dicunt sancti se non habere peccatum; quid est quod confitentur, ut remissionem mundationemque mereantur? An et hoc fit, ut arrogantia devitetur? Quomodo ergo impetrabitur peccatorum vera mundatio, quorum est falsa confessio? Conticescat igitur et arescat elatio fenea superbiorum, se ipsa seducens, quæ in auribus hominum simulata humilitate dicit se habere peccatum, in corde autem suo impia elatione dicit se non habere peccatum. Qui enim hoc dicunt, se ipsos seducunt, et veritas in eis non est. Sed quando in auribus hominum hoc dicunt, non tantum se ipsos, sed alios quoque doctrinæ insanæ perversitate seducunt: cum vero id in corde suo dicunt, illic se ipsos seducunt, illic veritas in eis non est; ac per hoc se ipsos in corde suo seducunt, et in suo corde veritatis lumen amittunt. Exclamet autem sancta familia Christi, fructificans et crescens in universo mundo, humiliter verax et veraciter humilis: exclamet, inquam: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate. » Hæc ut dicuntur, ita sentiantur. Tunc enim erit humilitas vera, si non sola ostentetur in lingua: ut simus secundum Apostolum: « Non alta sapientes, sed humilibus consentientes². » Non ait: « Colloquentes, » sed, « Consentientes: » quod non

¹ 1 Joan. I, 9. — ² Rom. xii, 16.

fit ore, sed corde. Hypocrita, si dicis te habere, cum credas te non habere peccatum; foris fingis humilitatem, intus amplecteris vanitatem. Ergo et in ore et in corde non habes veritatem. Quid tibi prodest videri hominibus humile esse quod dicis, si Deus videt altum esse quod sapis? Certe si auribus divinum insonaret oraculum, Noli altum dicere: nec sic immerito damnareris, si humile in ore coram hominibus, et altum in corde coram Domino loquereris. Cum vero audias: « Noli altum sapere, sed time¹; » (non enim ait, dicere, sed, sapere:) cur non etiam intus es humilis ubi sapis? An ideo mens altitudine inflatur, ut humilitatem lingua mentiatur? Legis, vel audis, « Noli altum sapere, sed time: » et tu in tantum sapis altum, ut te peccatum existimes non habere; ac per hoc quia non vis timere, nihil tibi aliud remanet quam timere.

II. Et unde, inquis, scriptum est: « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt? » An vero sancti Domini non ambulant in viis Domini? Quod si ambulant, inquit, non operantur iniquitatem: si non operantur iniquitatem, non habent peccatum; « Quoniam peccatum iniquitas est². » Exurge in adjutorium mihi, Domine Jesu, et contra hæreticum superbientem opitulare mihi per Apostolum confitentem. Ecce, ubi est homo tuus exinaniens se, ut impleatur te? Ipsum audiamus, fratres mei; ipsum de hac questione, si placet, imo quia placet, interrogemus. Dic nobis, Paule beatissime, utrum ambulaveris in viis Domini, cum in carne adhuc viveres? Respondet: Et unde dicebam: « Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus³? » Unde dicebam: « Numquid circumvenit vos Titus? Nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis⁴? » Unde

¹ Rom. xi, 20. — ² I Joan. iii, 4. — ³ Philip. iii, 16. — ⁴ 2 Cor. xii, 18.

dicebam: « Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem¹? » Quæ certior via Domini, quam fides ex qua justus vivit? In cujus alterius viæ itinere ad superna tendebam, quando dicebam: « Unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu²? » Postremo in qua alia via cucurreram, quando dicebam: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi³? » Satis sint ista repona, quibus apostolum Paulum in viis Domini ambulasse didicimus: sed ab illo et aliud inquiramus. Dic obsecro, o Apostole, quando adhuc in carne vivens in viis Domini ambulabas, habebas peccatum, an sine peccato eras? Audiamus utrum se ipse seducat, an vero quod beatus Joannes ejus co-apostolus sapiat: quoniam veritas erat in eis⁵. Et hic ergo respondet: Nonne legistis ubi confiteor, dicens: « Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago⁶? » Et hoc audivimus: jam itaque illud interrogamus, Quomodo in viis Domini ambulabas, si malum quod nolebas hoc agebas; cum Psalmus sanctus insonet dicens: « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt? » Audi continuo respondentem per sententiam consequentem: « Si quod nolo, inquit, ego hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum⁷. » Ecce quemadmodum qui ambulant in viis Domini, non operantur peccatum, et tamen non sunt sine peccato; quia jam non ipsi operantur illud, sed quod habitat in eis peccatum.

III. Hic dicet aliquis: Quomodo agebat quod nolebat malum, et quomodo ipse non id agebat, sed quod habita-

¹ 2 Cor. v, 6, 7. — ² Rom. i, 17. — ³ Philip. iii, 13, 14. — ⁴ 2 Tim. iv, 7. — ⁵ I Joan. i, 8. — ⁶ Rom. vii, 15. — ⁷ Ibid. 15-17.

bat in illo peccatum? Interim jam ista quæstio soluta est, satisque apparuit Scripturæ auctoritate canonice, fieri posse ut ambulantes in viis Domini, quamvis non sint sine peccato, non tamen id operentur ipsi. « Non enim qui » operantur iniquitatem, » hoc est peccatum, « Quia peccatum iniquitas est¹, in viis ejus ambulaverunt. » Jamvero qua ratione possit intelligi, et agens illud propter corpus mortis hujus, in quo lex peccati habitat, et non ipse agens illud propter vias Domini in quibus ambulat; alius sermo necessarius est, quia iste claudendus est.

SERMO III.

I. PROPTER id quod in Psalmo isto scriptum est, « Non enim » qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt², » quoniam « Peccatum iniquitas est³, » sicut Joannes apostolus dicit, exorta difficilis quæstio, Quomodo possint Sancti in hac vita et non esse sine peccato, quia et illud verum est, « Si dixerimus quia peccatum non habemus, » nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est³; » et tamen ambulare vias Domini, quas non ambulant qui operantur iniquitatem: soluta est, dicente apostolo Paulo, « Jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat » peccatum⁴. » Quomodo enim est sine peccato, in quo habitat peccatum? Ambulat tamen vias Domini, quas non ambulant qui operantur; quia jam non ipse operatur illud, sed quod in eo habitat peccatum. Verumtamen ita soluta est quæstio ista, ut difficilior altera nasceretur, Quomodo agat homo quod ipse non agit. Utrumque enim dixit, et

¹ 1 Joan. III, 4. — ² Psal. CXVIII, 3. — ³ 1 Joan. I, 8. — ⁴ Rom. VII, 17 et 20.

« Non quod volo, ago: » et, « Non ego operor illud, sed » quod habitat in me peccatum¹. » Unde intelligere debemus, quando peccatum quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari; quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, et tenet etiam corporis membra, ne obediant desideriis ejus. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus; movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus. Hoc præcepit idem Apostolus, ubi dicit, « Non ergo regnet » peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum » desideriis ejus, nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato². » Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire. Operantur ergo peccatum hæc desideria; quibus si obedimus, et nos operamur: si autem obtemperantes Apostolo non obedimus eis, non illud nos operamur³, sed quod in nobis habitat peccatum. Si autem desideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porro illiciti desiderii, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo et nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor est nostræ: a quo languore omnimodo salvi erimus, cum et animo et corpore immortales facti fuerimus. Quapropter et quia in viis Domini ambulamus, non obedimus desideriis peccati; et quia non sumus sine peccato, habemus desideria peccati. Ac per hoc jam nos ea non operamur, non eis obediendo; sed quod in nobis habitat peccatum, eadem commovendo. « Non enim » qui operantur iniquitatem, » id est, obediunt desideriis peccati, « In viis Domini ambulaverunt.

II. Sed adhuc quærendum est, quæ petamus dimitti nobis, quando dicimus Deo: « Dimitte nobis debita nos-

¹ Rom. VI, 16. — ² Id. VI, 12, 13. — ³ Id. VII, 17.

» tra¹ : » utrum quæ nos operamur, quando peccati desiderii obediunt; an ipsa desideria nobis dimitti volumus, quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatum. Quantum quidem ego sapere possum, languoris illius et infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum appellat Apostolus², universus reatus sacramento baptismatis est solutus, cum omnibus quæ illi obediunt fecimus, diximus, cogitavimus; nec nobis deinceps languor iste obsessus, quamvis inesset, si desiderii ejus illicitis nullis unquam obedientiam præberemus, sive operatione, sive locutione, sive tacita assensione; donec etiam ipse sanaretur, cum id quod poscimus esset impletum, sive dicentes, « Veniat regnum tuum; » sive dicentes, « Libera nos a malo³ : » sed quoniam tentatio est vita humana super terram⁴; etiamsi a criminibus longe simus, non tamen deest ubi desiderii peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediunt; quando adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt: quæ si adversus nos colligantur, etsi non singula suis molibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc, etiam hi qui ambulant in viis Domini, dicunt, « Dimitte nobis debita nostra⁵ : » quoniam ad vias Domini, et ipsa oratio pertinet, et ipsa confessio; quamvis non ad eas peccata pertineant.

III. Itaque in viis Domini, quas omnes fides una complectitur, « Qua in eum creditur qui justificat impium⁶; » qui etiam dixit, « Ego sum via⁷ : » nemo peccatum operatur, sed confitetur. Deviat ergo, cum peccat: et ideo peccatum viæ non tribuitur, quod a deviante committitur: sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. De quibus apostolus Paulus jus-

¹ Matth. vi, 12. — ² Rom. vii, 7-25. — ³ Matth. vi, 10-12. — ⁴ Job. vii, 1. — ⁵ Matth. vi, 12. — ⁶ Rom. iv, 5. — ⁷ Joan. xiv, 6.

titiam fidei commendans, in Psalmo scriptum esse monstravit, « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum¹. » Hoc præstant viæ Domini: ac per hoc, quoniam « Justus ex fide vivit², » ab ista via Domini illa alienat iniquitas, quæ est infidelitas. In hac autem via, id est, in fide pia quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid a deviante committitur, propter viam non imputatur, et tanquam non fuerit operatus accipitur. Et ideo bene etiam sic intelligitur, « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt: » ut hanc iniquitatem significaverit, quæ recedit a fide, aut non accedit ad fidem. Quemadmodum enim ait Dominus de Judæis, « Si non venissem, peccatum non haberent³. » Nec utique sine ullo peccato erant, antequam Christus veniret in carne, et ex quo venit, cœperunt habere peccatum: sed peccatum quoddam certum, id est, infidelitatis, intelligi voluit; quoniam non crediderunt in eum. Ita qui operantur iniquitatem, non quamlibet, sed hanc ipsam infidelitatis, non in viis ejus ambulaverunt: quia, « Universæ viæ Domini misericordia et veritas⁴; » utrumque autem in Christo est, et præter Christum nusquam est. « Dico enim Christum, ait Apostolus, ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum; Gentes autem super misericordiam glorificare Deum⁵. » In hoc igitur misericordia, quia nos redemit: in hoc veritas, quia id quod promissit implevit, et impleturus est quod promittit. « Qui ergo operantur iniquitatem, » id est, infidelitatem, « Non in viis ejus ambulaverunt; » quia in Christum non crediderunt. Ergo convertantur, et in eum qui

¹ Rom. iv, 7, et Psal. xxxi, 1, 2. — ² Rom. 1, 17. — ³ Joan. xv, 22. — ⁴ Psal. xxiv, 10. — ⁵ Rom. xv, 8, 9.

justificat impium¹, pie credant, atque in illo misericordiam peccatis dimissis, et veritatem completis promissis, hoc est, universas vias Domini inveniant: in quibus ambulantes non operabuntur iniquitatem: quia non tenebunt infidelitatem, sed fidem, quæ per dilectionem operatur², et cui peccatum non imputatur.

SERMO IV.

I. Quis est, charissimi, qui Domino dicit, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non confundar, dum inspecio in omnia mandata tua³? » Quis est qui hoc dicit, nisi unumquodque membrum Christi, vel potius universum corpus Christi? Et quid est, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis? » Utrum nimis præcepisti, an nimis custodiri? Quodlibet horum intelligamus, contra illam memorabilem nobilemque sententiam hoc dictum videtur, quam Græci laudant in sapientibus suis, et Latini laudando consentiunt, « Ne quid nimis⁴. » Si enim hoc verum est, ut ne quid nimis fiat, quomodo verum est, quod hic dicitur, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis? » Quando Deus aliquid vel nimis præciperet, vel nimis custodiri vellet, si omne nimium reprehensione dignum esset? Diceremus ergo nos nulla Græcorum sapientium auctoritate teneri, intuentes quod scriptum est, « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi⁵: » et potius istam sententiam falsam esse crederemus, qua dictum est, « Ne quid nimis, » quam divinum

¹ Rom. iv, 5. — ² Galat. v, 6. — ³ Psal. cxviii, 4-6. — ⁴ Terent. Andr. Act. 1, sc. 1. — ⁵ I Cor. i, 20.

eloquium, ubi legimus atque cantamus, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis; » nisi nos non græca elatio, sed vera ratio revocaret? Nimis quippe dicitur, quidquid plus fuerit quam oportet. Nam parum et nimium duo sunt inter se contraria. Parum est quod minus est quam oportet: et nimium plus quam oportet. Horum in medio modus est, quod dicitur, sat est. Cum itaque utile sit in vita et moribus, ut amplius quam oportet nihil omnino faciamus; profecto veram esse sententiam, « Ne quid nimis, » fateri potius quam negare debemus. Sed aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut nimis pro eo quod est, valde, et positum inveniamus in Litteris sacris, et ponamus in sermonibus nostris. Nam et hic, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis, » non nisi, Valde, intelligimus, si recte intelligimus. Et, Nimis te diligo, si alicui charissimo dicimus, non utique plus quam oportet, sed valde nos diligere intelligi volumus. Denique illa græca sententia non habet hoc verbum, quod hic legitur. Ibi enim est *ἄγαν*, quod est, nimis: hic est autem *σφόδρα*, quod est, valde. Sed aliquando, ut diximus, nimis pro eo quod est valde, et dictum invenimus, et dicimus. Unde nonnulli etiam latini codices non habent, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis; » sed, « Valde. » Valde itaque præcepit hoc Deus, et valde oportet Dei custodiri mandata.

II. Sed humilis pietas vel pia humilitas, et fides non immemor gratiæ, quid adjungat attendite: « Utinam, inquit, dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas¹. » Præcepisti quidem tu, sed utinam quod præcepisti fiat mihi. Ubi audis « Utinam, » vocem optantis agnosce; et agnita voce optantis, depone superbiam præsumptis. Quis enim se dicat optare, quod sic habet

¹ Psal. cxviii, 5.

in arbitrii potestate, ut nullo indigens adiumento id possit efficere? Ergo si optat quod præcipit Deus; ut det ipse quod præcipit, rogandus est Deus. A quo enim optandum est, nisi ab illo, a quo « Patre luminum omne » datum optimum et omne donum perfectum, sancta » Scriptura teste, descendit¹? » Propter eos autem qui putant hoc solo nos ad faciendam justitiam divinitus adjuvari, quod Dei præcepta nobis in notitiam proferuntur, ut ea cognita, jam sine ulla Dei gratia, solis nostræ voluntatis viribus impleantur, non optat hic dirigi vias suas ad custodiendas justificationes Dei, nisi jam ejus acceptis ipso præcipiente mandatis. Ad hoc enim pertinet quod præmisit, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis. » Tanquam diceret: Jam legem accepi, jam novi; « Tu enim » præcepisti mandata tua custodiri nimis: » et mandata tua sancta, et justa, et bona; sed peccatum per bonum mihi operatur mortem², nisi adjvet tua gratia, « Uti- » nam ergo dirigantur viæ meæ ad custodiendas justifica- » tiones tuas. »

III. « Tunc non confundar, dum inspicio in omnia » mandata tua³. » Mandata Dei sive cum leguntur, sive cum memoria recoluntur, tanquam speculum intuendum est, secundum apostolum Jacobum dicentem: « Si quis » est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro » consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consi- » deravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis » fuerit: qui autem perspexerit in legem perfectam liber- » tatis, et permanserit, non auditor obliviosus factus, sed » factor operis, hic beatus in facto suo erit⁴. » Talem se iste vult esse, ut inspiciat tanquam in speculo mandata Dei, et non confundatur: quia non auditor eorum tantum

¹ Jacob. 1, 17. — ² Rom. VII, 12, 13. — ³ Psal. cxviii, 6. — ⁴ Jacob. 1, 23-25.

vult esse, sed factor. Propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas justificationes Dei. Unde dirigi, nisi gratia Dei? Alioquin legem Dei habebit, non ubi gratuletur, sed ubi confundatur; si voluerit mandata inspicere, quæ non facit.

IV. « Confitebor, inquit, tibi, Domine, in directione » cordis, in eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ¹. » Non est peccatorum confessio ista, sed laudis: sicut ait etiam ipse, in quo peccatum nullum erat, « Confitebor » tibi, Pater, Domine, cœli et terræ²: » et sicut scriptum est in libro Ecclesiastico: « Hæc dicetis, in confes- » sione: Opera Domini universa quoniam bona valde³. » Confitebor, inquit, tibi in directione cordis. » Utique si dirigantur viæ meæ, confitebor tibi, quoniam tu fecisti, et tua laus est ista, non mea. Tunc enim « Confitebor in » eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ, » si directum cor habebō, directis videlicet viis meis ad custodiendas justificationes tuas. Nam quid mihi proderit quod ea didicerim, si corde perverso vias abibo pravas? Non enim lætabor in eis, sed accusabor ab eis.

V. Deinde adjungit: « Justificationes tuas custodiam⁴. » Quæ omnia ex illo utique connectuntur, quod ait: « Uti- » nam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes » tuas: tunc non confundar dum inspicio in omnia man- » data tua; et confitebor tibi in directione cordis, et jus- » tificationes tuas custodiam. » Sed quid est quod sequitur? « Ne derelinquas me usque valde: » vel sicut nonnulli codices habent, « Usque nimis, » pro eo quod est « Valde: » nam hoc verbum græcum est et hic, id est, *σφδδρζ*: quasi relinqui se a Domino velit, sed non, « Us- » que valde. » Absit. Sed quia reliquerat Deus mundum

¹ Psal. cxviii, 2. — ² Matth. xii, 25. — ³ Eccli. xxxix, 20, 21. — ⁴ Psal. cxviii, 8.